DE QUINTILIANO GRAMMATICO

PART. I

QUINTILIANI DE ACCENTU ET DE NOMINUM VERBORUMQUE DECLINATIONE PRAECEPTA

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XVI M. JUNII A. MDCCCLXXVII HORA XII

PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS BOETTNER

PALAEOMARCHICUS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

M. PENNIGSDORF CAND. PHIL.

W. WEISE CAND. HIST.

HALIS SAXONUM

TYPIS KARRASIANIS

Anno superiore amplissimus philosophorum ordo hanc quaestionem philologicam promulgaverat et civibus commendaverat:

> Quintiliani de arte grammatica praecepta componantur et explicentur.

In certamen litterarium descendens hanc commentationem ita perfeci, ut primum quaererem de litteris et syllabis, deinde de partibus orationis, denique de syntaxi hanc viam rationemque secutus, ut, cum amplissima esset materia, ea quae ad litteras syllabasque et partes orationis, in quibus Quintilianus vel maxime versatur, pertinent, accuratius tractarem; deinde ea praecipue, de quibus dicatur, digna putavi, quae in codicibus corrupta sunt et in quibus Quintilianus erravit aut a ceteris grammaticis dissentit.

De commentatione mea, quae digna putabatur, cui praemium decerneretur ordinis philosophorum hoc fuit iudicium:

„scriptor per omnes grammaticae partes propositam quaestionem diligenter persecutus est, in amplissima materia colligenda disponenda diiudicanda et laudabilem rerum scientiam et sanum iudicium probavit, denique scribendi genere usus est apto et emendato. Quare etiamsi quaedam minus recte tractata, non nulla etiam quae a re aliena erant admixta sunt, tamen laudabilem commentationem praemio dignam esse ordo decrevit.“

Cum tota commentatio copiosior mihi videretur, nunc ad summos in philosophia honores impetrandos partem eius typis exprimendam curare satis habui: elegi autem ea quae Quintilianus de accentu Latino et de declinatione nominum verborumque tradidit.

I.

De mensura syllabarum et de accentibus.

Vocales aut longae aut breves sunt itemque syllabae quoque aut productae aut correptae: longa est duorum temporum, brevis unius (IX, 4, 47). Sed syllaba etiam, quae brevem habet vocalem, longa fieri potest positione i. e. duabus consonantibus sequentibus (I, 5, 28; IX, 4, 84 sqq). Exemplum quod Quint. affert est 'agrestis': nam 'a', inquit, brevis, 'gres' brevis, faciet tamen longam priorem: dat igitur illi aliquid ex suo tempore.

Poetae aliquando correptam syllabam producere, productam corripere sibi permittunt, velut Vergilius Aen. I, 6 „Italiam fato profugus“ vocis 'Italiae' primam i producit. Quod omnes poetas propter metrum facere nemo nescit: apparet ex hoc loco in cotidiano sermone 'Italiam' i correptam habuisse (cf. Serv. comm. ad h. v.).

Idem Vergilius (Aen. I, 45) in 'unius' mediam corripit; extra carmen, ait noster, hoc non deprendi (I, 5, 18). At rusticos quoque in peregrinis nominibus spatium vocalium mutasse, apparet ex XII, 10, 57, ubi rusticus quidam commemoratur, qui pro 'Amphīon' dicebat 'Ampĭon'.

In eloquendo Quint. apud Latinos iucunditatem Graecae linguae desiderat (XII, 10, 35), cum non solum lingua Latina quia iucundissimis ex Graecis litteris careat, ipsis sonis durior sit (XII, 10, 27 sq.), sed accentus quoque cum rigore quodam, tum similitudine ipsa minus suaves Romani habeant, quia ultima syllaba nec acuta unquam excitetur, nec flexa circumducatur, sed vox in gravem vel duas graves cadat semper. „Itaque tanto est sermo Graecus“, inquit XII, 10, 33, „Latino iucundior, ut nostri poetae, quotiens dulce carmen esse voluerunt, illorum id nominibus exornent.“ Praeter hunc locum Quint. de accentibus dicit I, $5^{22}/_{31}$ et I, 5, 62. Legis, quae de accentu exstat, observatio apud Graecos Quintiliani sententia difficilior est, quia plures illis *διάλεκτοι* sunt, et quod in alia vitiosum, interim in

alia rectum est; apud Latinos vero ratio brevissima, ad quam, priusquam accedam, pauca praemittenda sunt.

Ratio Latina paulatim cum doctrina Graecorum grammaticorum mixta est: Latini grammatici eosdem accentus statuunt, nisi quod pro nominibus Graecis quae sunt *προσῳδία ὀξεῖα, περισπωμένη, βαρεῖα* utuntur Latine versis, quae sunt accentus acutus, circumflexus, gravis, quamquam a Latinis nisi interdum a nonnullis grammaticis accentus non scribebantur.[1]) Deinde, quamvis diversa sit natura sermonis Graeci et Latini, Graecorum de accentibus leges sequuntur. Itaque iam Quintiliani aetate quidam cum in Latinis tum in Graecis nominibus ultimam syllabam cum accentu efferre ausi sunt, et inferioris aetatis grammatici — ut Quintilianum nunc omittam — de accentu circumflexo praecipue pariter ac Graeci praecipiunt, ut in paenultima tum demum poni possit, si ipsa naturaliter producta et ultima brevis sit. Sed haec regula certe a natura linguae Latinae abhorret, cum alioquin ultima syllaba ad accentum constituendum nihil valeat: itaque quamquam e. g. 'tábulă' et 'tábulās' pronuntiamus, estne verisimile Latinos 'Rômă' et 'Rómā' distinxisse? Minime. Quod cum ita sit, primus Langenus[2]) probante Christio[3]) demonstravit aliis argumentis quae repetere supersedeo additis circumflexum a lingua Latina alienum esse: unum eundemque accentum a grammaticis Latinis, si in longa syllaba exstaret, 'circumflexum', sin in brevi 'acutum' appellatum esse.[4]) Contar

[1]) F. Schoell: De accentu Lat. p. 91 adn. 2. act. soc. phil. Lips. VI.

[2]) De gramm. Lat. praec. quae ad acc. spectant Bonn 1857; Philol. XXXI p. 117 sqq.

[3]) Philol. p. 181 sqq.

[4]) Nunc video Ritschelio eandem sententiam probari cf. Mus. Rhen. 1876 p. 481 sq. Abgesehen von einigen ganz secundären Punkten, die noch dazu groesstentheils auf reine Fictionen und unpraktische Tifteleien theoretisirender Grammatiker zurückgehen, sind es ja nur die paar so einfachen wie kurz zu formulirenden Gesetze, welche das ganze Accentuationsgebiet des Latein ausnahmslos beherrschen: dass, ohne jede Rücksicht auf die Beschaffenheit der Ultima, jedes mehrsylbige Wort mit langer Paenultima ein Paroxytonon,*) jedes mit kurzer Paenultima ein Proparoxytonon ist, mehrsylbige Oxytona es aber überhaupt nicht giebt.

*) 'Properispomenon' füge ich gar nicht hinzu, weil diese ganze Unterscheidung nur von den lateinischen Grammatikern ersonnen ist nach dem Vorbild des Griechischen.

Contra hanc sententiam viris doctis minus probatam Corssenus imprimis disputavit, sed nuper denuo eam retractavit et omnibus grammaticorum locis, qui ad hanc rem spectant, diligentissime collectis defendit F. Schoellius.[5]) Is non solum apud Latinos, sed etiam apud Graecos circumflexum nihil fuisse contendit[6]) nisi grammaticorum inventum; itaque eius sententia e. g. in *ῥῶμα, ῥώμη, ῥόμμα* ⏑̃ et ⏑́ nihil sunt nisi diversae eiusdem accentus notae. Profiteor Schoellium mihi persuasisse de circumflexo Latino rem ita se habere: de Graeco nunc non quaero.

Sed ut ad Quintilianum redeam, contendit Langenus eum a Graecis praeceptis ita dissensisse, ut ultima sive longa sive brevi paenultimam productam circumflecteret, ut 'Cethêgus' et 'Cethêgi', quia Quint. expressis verbis non diceret se 'Cethegi' acuisse (Cethégi). Sed primum omnes inferioris aetatis grammatici docent paenultimam tum demum circumflecti, si ultima brevis sit. Deinde verisimile non esse mihi videtur Quintilianum, cum ipsum circumflexum agnosceret in usu eius Graecam legem neglexisse. Jam vero Claussenus[7]) demonstrare studuit Langenum ab ipso Quintiliano I, 5, 27 refutari, ubi dicit: „cum dicam 'circum litora', ... tanquam in una voce una est acuta, quod idem accidit in illo: 'Troiae qui primus ab oris'." Ex hoc loco Claussenus coniecit 'oris' acui (órīs). Sed dubitaverunt viri docti, quam vocem Quint. in hoc exemplo 'Troiae qui primus ab oris' intellexerit; dicit autem de iis, qui quaedam vocabula diverso modo pronuntiabant, ut discrimen significationis cognosceretur; quod his verbis reprehendit: „cum dico .... ab oris". Halmius putat 'qui' accentum amittere atque cum antecedenti 'Troiae' coniungendum esse; alii ut Spaldingius item 'qui' intellexerunt sed cum 'primus' coniunxerunt: 'quì prîmus'; alii denique ut iam Camerarius 'ab' significari putaverunt, quod cum 'oris' coniunctum 'àb óris' pronuntiaretur.

Primum 'qui' neque cum 'Troiae' neque cum 'primus' tam arte cohaeret, ut tanquam unum efficiatur; deinde recte monet Corssenus[8]) Quintilianum de accentu praepositionum loqui, non pronominis relativi: itaque ut antea 'circum' praepositionem, sic hic sine dubio 'ab' Quint. intellexit. De significatione illius 'acuta' nunc

---

5) De accent. ling. Lat. 6) ibid. p. 33 sqq.
7) Annal. phil. suppl. VI p. 326. 8) de pronunt. II² 862 adn.

non quaero: id quod Claussenus probare voluit, ex alio loco efficitur, dico I, 5, 30: „trium (syllabarum) porro, de quibus loquor, media longa aut acuta aut flexa erit“. Vulgo explicant mediam flexam esse, si natura longa sit, sin positione acutam; sed recte monet Schoellius[9]): „quae si ita explicare vellet (Langenus), ut ‘flexa’ ad natura longas syllabas, ‘acuta’ ad longas positione referret, torqueret potius, quam interpretaretur sententiam“. Sane: et nisi argute interpretamur, vox ‘longa’ unum idemque significare debet, dico ‘natura longa’; nam syllabam positione tantum longam, quoniam brevem habet vocalem, cum acuto efferri per se patet. Itaque illud ‘media longa aut acuta aut flexa erit’ hoc valet: media naturaliter longa acuitur, si ultima longa, sed circumflectitur, si ultima brevis est. Quint. igitur a ceteris grammaticis non dissentit. His praemissis ad ipsa de accentu praecepta accedamus.

In omni voce una syllaba, sed nunquam plus una nec unquam ultima cum accentu effertur: is intra numerum trium syllabarum continetur, sive eae sunt in verbo solae sive ultimae, i. e.: paenultima et antepaenultima tantum accentum accipere possunt. Ad accentum vero constituendum nulla valet nisi paenultima, quae sive natura sive positione longa est, ipsa cum accentu pronuntiatur, sin brevis est, antepaenultima erectum sonum habet. Accentus autem antepaenultimae esse nequit nisi acutus; in paenultima acutus ponitur, primum si positione longa est (ut in Camíllus, Olýmpus, tyránnus I, 5, 22. 62); deinde si et ipsa naturaliter producitur et ultima; deinique in disyllabis, etiam si prior syllaba corripitur, cum ultima semper gravis sit. Altera ex parte circumflexus in paenultima collocatur, si ipsa natura longam, ultima brevem vocalem habet, ut in ‘Cethêgus’ (I, 5, 22). Monosyllaba autem sunt acuta aut flexa: acuta certe — Quintilianus enim nihil de hac re dicit — si correptam, flexa, si productam vocalem habent. Haec praecipit noster I, 5, 30/31; sed hic totus locus difficultatem satis magnam praebet, quamquam apud Romanos, ut ipse ait, brevissima est ratio. In altera codicum familia, cuius primarii sunt Bn et Bg (Halmii compendiis utor) sic scriptum est: „namque in omni

---

[9]) l. c. p. 35.

voce acuta intra numerum trium syllabarum continetur, sive eae sunt in verbo solae, sive ultimae et in iis aut proxima extremae aut ab ea tertia . trium porro, de quibus loquor, media longa aut acuta aut flexa erit, eodem loco brevis utique gravem habebit sonum ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam acuet . est autem in omni voce utique acuta, sed nunquam

[plus una, nec unquam ultima ideoque in disyllabis prior.]

praeterea nunquam in eadem flexa et acuta

[qui in eadem flexa et acuta:]

itaque neutra cludet vocem Latinam; ea vero, quae sunt syllabae unius, erunt acuta aut flexa,

[ne sit aliqua vox sine acuta]."

In Ambrosiano vero, codice alterius familiae primario, ea quae uncis inclusi, posteriore demum manu adiecta sunt praeter verba: „qui in eadem flexa et acuta": haec omnino desunt in A M S. Quare pro certo habeo hunc locum gravissimis corruptelis iam antiquitus affectum esse. Primum enim, quid sibi velit: „qui in eadem flexa et acuta" ne ex coniecturis quidem, quae factae sunt, intellego, quae sunt: vulgata: „quoniam eadem flexa et acuta", Spaldingii: „quoniam flexa est acuta", vel: „quoniam in flexa est acuta", Gernhardi: „quoniam flexa eadem et acuta est", Halmii: „quoniam est in flexa et acuta". Putant igitur Quintilianum dicere: praeterea nunquam eadem vox syllabam acutam et flexam habet, quia aut flexus sonus idem est atque acutus aut in flexa inest acutus, quod quid sibi velit non perspicio. Deinde cur omnino Quint. hic argumentum affert, cum antea protulerit nullum? Certe eodem iure ei dicendum erat, cur in una voce plus una acuta non esset. Itaque sine dubio verum vidit Claussenus haec verba „qui in eadem flexa et acuta" nihil esse nisi dittographiam, in quod Schoellius quoque[10]) incidit et ipse Langenus,[11]) qui acerrime haec antea defendebat, nunc illis assentitur.

Sed alia difficultas restat in voce 'acuta'. Claussenus[12] contendit eam apud Quint. utique significare 'syllabam acuto accentu pronuntiatam', qua in re erravit; nam concedam equidem hanc significationem vocis esse § 27 et in initio § 30, sed nullo

---

[10]) l. c. p. 35 et 102. [11]) ann. phil. 1876 p. 628.
[12]) l. l. p. 326 et Philol. 1876 p. 378.

modo hoc fieri potest in initio § 31 „est autem in omni voce utique acuta“ et in fine „ne sit aliqua vox sine acuta.“ Jam hoc quoque Clausseno concedam hoc enuntiatum „ne sit aliqua vox sine acuta“ eici posse, cum sine dubio, si non molestum, at supervacaneum sit: sed restat illud „est autem in omni voce utique acuta“, quod ineptum est, si 'acuta' interpretamur: 'quae acuto accentu pronuntiatur', quoniam plurima verba sunt, quae circumflexum habent. Quae cum ita sint, alii ut Langenus[13]) Schoellius[14]) existimant apud Quint. 'syllabam acutam' significare 'syllabam et sono erectam' et 'acuto accentu pronuntiatam'. Quod qui statuunt Quintilianum in duabus §§ (30/31) idem vocabulum grammaticum bis vel ter hac vi, ter vel quater illa usurpare, certe vel maximam obscuritatem elocutionis homini eruditissimo obtrudunt. Nam etiamsi libenter concedo vocem 'acutus' per se aptissimam esse pro nostro 'betont' nec nego eam hac vi usurpatam esse, tamen in praeceptis de accentu dandis uno eodemque loco certam vim habere debet pariter ac vox 'flexus'.

Sed accedunt alia. Primum dicit Quint.: „apud nos brevissima ratio“; speramus sine dubio eum quam brevissime dicturum: at prorsus supervacanea sunt „praeterea nunquam in eadem flexa et acuta: itaque neutra cludet vocem Latinam“, quod, ut postea vidi, Langenus[15]) quoque intellexit eamque ob rem haec verba „praeterea .... Latinam“ spuria censet. Ac non solum supervacanea sunt, sed multo aptius his deletis a disyllabis ad monosyllaba transitur. Jam vero prorsus carere possumus his „ne sit aliqua vox sine acuta“ et „de quibus loquor“ et „id est ab ultima tertiam“. Denique ne haec quidem „nec unquam ultima ideoque in disyllabis prior“ quidquam novi afferunt, quamquam disyllaba commemorari oportet, cum monosyllaba sequantur. Uberius igitur haec omnia dicta sunt, quam ut Quintilianum haec scripsisse putem. Denique ne id quidem prorsus neglegendum est, quod in optimo codice A duobus locis ea verba prima manu omissa sunt, quae supra significavi.

Jam vides verba „trium porro, de quibus loquor .... ne sit aliqua vox sine acuta“, etsi plura prorsus supervacanea sunt,

---

[13]) Philol. 1874 p. 741 et al. [14]) l. c. p. 35. [15]) annal. phil. 1876 p. 628.

tamen ita inter se cohaerere, ut praeter haec „qui in eadem flexa et acuta“ alia eicere vix placeat: nam qui hoc scripsit, manifesto primum de trisyllabis, deinde de disyllabis, denique de monosyllabis quaerit. Itaque omnibus circumspectis verisimillimum mihi esse videtur verba „namque in omni voce .... ne sit aliqua vox sine acuta“ in archetypo nostro iam exstitisse, Quintilianum vero nihil scripsisse nisi „namque in omni voce acuta intra numerum trium syllabarum continetur, sive eae sunt in verbo solae sive ultimae et in iis aut proxima extremae aut ab ea tertia“; cetera vero antiquissimis temporibus non ita ingeniose adiecta esse a librario, qui quae Quint. generaliter dixerat, pluribus explicare vellet. Quintiliani de accentibus praecepta partim suspecta esse, fortasse etiam ex verbis „haec de accentibus tradita“ in fine § 25 positis conicias: certe hoc loco prorsus inepta sunt.

Vocabula Graeca in universum bona aetate Latinam de accentu legem secuta sunt, velut ‘Olýmpus’ et ‘tyránnus’ media acuta dicebantur. Legitur I, 5, 62: „inde ‘Olympo’ et ‘tyranno’ acutam syllabam mediam dederunt, quia duabus longis sequentibus primam brevem acui noster sermo non patitur“. Apparet Quintilianum hic de accentu nominativi ‘Olympus’ et ‘tyrannus’ loqui, cum in dativo Ὀλύμπῳ τυράννῳ ne Graeci quidem primam syllabam acuant. Ut est mos eius, casum vocis ad verbum enuntiati accommodavit, quod cum hic sit ‘dederunt’, dativum posuit pro nominativo. Quodsi verum est, cum non intellegatur, quid sibi velit „duabus longis sequentibus primam brevem acui“ Lipsius coniecit: „quia una aut duabus longis seq. primam acui n. s. n. p.“, quod minime placet: nam una longa sequente — si ultima est — tertia ab ultima acui potest, duabus vero longis sequentibus sermo Latinus et Graecus inter se non dissentiunt. Spaldingius hic ipsum Quintilianum, non librarium errasse putat, quod in re tam dilucida vix cuiquam persuadebit. Recte autem monet in voce ‘brevem’ vitium inesse, cum nihil referat, antepaenultima brevis an longa sit. G. Hermannus probantibus Halmio, Keilio, Schoellio Quintilianum scripsisse coniecit: „quia primam acui noster sermo non patitur“; causam enim, ait, cur hoc fieri non posset, Romanis satis planam fuisse. Recte id quidem, sed si causam expressis verbis dicere nollet, certe sic

scribere debuit Quint.: „quia primam acui noster sermo non pateretur", cum causa non addita praesens 'patitur' molestissimum sit. Quo cognito Claussenus[16]) totum enuntiatum interpolatum putat. Certe deesse potest, sed priusquam ad hanc ultimam rationem progrediamur, vide itane Quint. scripserit: „quia longa sequente primam acui noster sermo non patitur", quod sciolus correxisse sibi videbatur, si id scribebat, quod nunc legimus. Vox 'sequens' hic aeque atque § 23 (circumducta sequenti) et multis aliis locis idem valet, quod 'secundus', quae signifiatio propter illud 'primam' satis clare cognoscitur. Quam usitata haec vis Quintiliano fuerit, cum ex adn. Spaldingii ad § 23 tum ex lexico Bonnelli cognoscas.

Fuerunt qui accentum vitiose ita mutare auderent — nisi forte Quint. finxit tantum haec vitiosae voculationis exempla — ut pro 'Camíllus' 'Cámillus', pro 'Cethêgus' 'Céthegus' dicerent (I, 5, 22/23). Praeterea vero iam Quintiliani aetate Graeca accentuatio ita evalescere coepit cum in Latinis tum in Graecis vocibus, ut ultima syllaba accentum acciperet. Fuerunt, qui barbarismum admittentes Appî, Atrêus, Nerêi, Terêi, pronuntiarent (I, 5, 23/24). Fortasse ex hoc quoque, quod ultimam syllabam circumflexerunt, colligi potest circumflexum et acutum in lingua Latina diversos non fuisse: nam cum Graeci Ἀτρεύς acuerent, illi, quos vituperat Qint., 'Atrêus' etc. circumflexisse videntur, quod productae syllabae accentum nominabant circumflexum. Dixerit aliquis tum accentum antepaenultimae longae quoque appellari debuisse flexum: at fieri potuit, ut hunc ex doctrina Graecorum acutum dicerent.

Sed hic totus locus talis est, ut pluribus de eo disserendum sit. Scripturae codicum prorsus ineptae „ut (A S B aut) apice (quod Bn Bg M omittunt) circumducta sequenti" hodie non video defensorem neque ullo modo ferri potest. Sed praeclaro exemplo haec scriptura est, ad quantam quis perversitatem progredi possit, si lectionem quamvis corruptam servare velit: eo enim argutiae Seyffertus[17]) processit, ut diceret, 'apicem circumductam' idem esse atque sonum flexum et 'apicis' vocem apud Qint. generis quoque feminini esse. Sed cum ex tota enuntiati

---

[16]) l. c. 328. [17]) Grammat. Lat. I § 222.

structura, tum ex sequentibus „sed id saepius in Graecis nominibus accidit" luculentissime apparet nostro loco exempli causa vocem Latinam exstitisse. Hoc recte cognovit Spaldingius, qui diu meditatus aptiorem vocem quam 'Appî' invenire non potuit. Contra Osannus [18]) et Sarpius probante G. Hermanno 'Apicî' verum putaverunt. Jam quid verum sit videamus. Ex verbis Quintiliani: „(barbarismus admittitur cum ponitur) flexa pro gravi, ut * * circumducta sequenti, quam ex duabus syllabis in unam cogentes et deinde flectentes dupliciter peccant" apparet, verbum tale esse debere, quod in iusta forma duas vocales deinceps habeat; nam aliter hae syllabae in unam cogi (i. e. contrahi) non possunt; deinde hae duae syllabae gravem sonum habent, cum aliter dupliciter non peccetur, si illa syllaba contracta et gravis circumflectitur. Jam vero illud 'sequenti' in 'circ. seq.' i. e. cum sequens syllaba circumflexa est" nihil significare potest nisi 'secunda': nam si quis simpliciter interpretaretur 'ea quae sequitur', hoc omni sensu careret, cum quamnam sequatur, minime appareat. Sed cum haec secunda syllaba ex duabus perverse contracta et gravis sit, vox, de qua dicit noster, in recta forma trisyllaba, in contracta disyllaba esse debet. Quo nihil manifestius est. Itaque Sarpii 'Apicî' reiciendum est. Stare tamen potest propter syllabas Spaldingii 'Appî' et constat, si 'Appĭi' Quintiliani sententia vera forma est, dupliciter peccari, si pronuntietur 'Appî' circumflexa ultima syllaba. Cum vix credibile sit quosdam in nomin. plur. 'Appî' pro 'Appii' dixisse, nihil restat nisi ut genitivum sing. Quintilianum hic intellexisse putemus; nam vocativum sing. excludendum esse facile apparet. Sed si 'Appî' genetivum esse existimamus, Quintilianus dicit sua aetate 'Appii' usitatum fuisse, quae res aliquid difficultatis habet. Nam quamquam constat [19]) formam genetivi 'ii' vocabulorum in 'ius' desinentium iam praeceptis Varronis et usu imprimis Propertii et Ovidii in dies magis usurpatam et Quintilianea aetate iam usitatam fuisse, tamen nomina propria videntur excepta fuisse, cum in inscriptionibus etiam huius aetatis exempla una i finita longe plurima sint. Itaque

[18]) Anal. crit. p. 174.
[19]) Corss. de pron. II² p. 606 sq. 705.

fortasse 'Appî' genuina lectio non est, sed aptiorem nullam adhuc invenio.

Arte cum hac quaestione cohaeret proxima; nam ut Quint. § 23 Latinum exemplum posuit, ita § 24 Graecum protulit, cum id quod in 'Appî' vituperaverat, saepius accideret in Graecis vocabulis. „Sed id saepius", inquit, „in graecis nominibus accidit, ut 'Atreus', quem nobis iuvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset, item 'Nerei Tereique'." Sic codices et editores nisi quod nunc Halmius Osanni[20]) coniectura nixus 'Atrei' pro 'Atreus' scripsit; quo iure nescio. Nam Osannus ut iam antea Spaldingius locum non accurate intellexisse mihi videntur: Spaldingius enim dubitat, doctissimi illi senes, qui 'Atreus' acuta prima dicere solebant, hoc verbum trisyllabum an disyllabum fecerint. Sed nonne ex illo 'prima' necessario efficitur 'Atreus' apud illos senes trisyllabum fuisse? Certe meo iudicio, nam Quint., si dicere voluisset, disyllabum fuisse, acuta priore scripsisset: dicebant igitur illi 'Átrĕüs'.[21])

Postquam haec scripsi, vidi Schoellium[22]) mecum facere et 'Atreus' defendere dicentem: „'Atrei' falsum esse ostendit 'quem', quod necessario ad nominativum refertur." Nec difficile est videre 'Atr$\widehat{eu}$s' dicentes dupliciter peccare, cum Quint. formam 'Átrĕüs', quippe qua doctissimi illi senes usi sint, iustam putaverit. Dupliciter etiam peccabant, qui in genetivo 'Ner$\widehat{ei}$, Ter$\widehat{ei}$' pro 'Nérĕi Térĕi' dicebant. Quod si legimus 'Atreus', bene etiam se habet 'Nerei Tereique', quod 'Atrei' recepto prorsus supervacaneum esset.

Aliam sententiam profert Claussenus[23]) ratus Quintilianum in animo habuisse 'Appîi (media circumflexa) Atrêi, Nerêi,

---

[20]) adn. ad Quint. l. X. part. VI, 15.

[21]) Eandem pronuntiationem, ut H. Keilius benevolentissime mecum communicavit, Audax grammaticus docet. cf. Audac. ars gramm. ed. H. Keil in: Chronik der Univers. Halle für 1876 p. 38: „In trisyllabis quae ratio est? Ut semper paenultimam inspiciamus .... si paenultima brevis fuerit, a fine tertia semper acuetur, sive longa sit sive brevis .... erunt igitur huius modi nomina, in quibus a fine tertia syllaba semper acuetur, ut Túllius Átreus cándidus."

[22]) l. c. p. 205 adn. 2. [23]) l. c. p. 326 et 381.

Terêi'. Is igitur locum sic interpretatur: ut 'Appîi' circumducta sequenti, quam si qui ex duabus syllabis contrahunt et deinde flectunt, dupliciter peccant. Sed nonne valde durum est dicere: in 'Appîi, Atrêus, Nerêi' pĭ syllabam et trĕ et rĕ ex duabus (pĭi, trĕus, rĕi) in unam cogentes dupliciter peccant? Hoc nisi de syllaba contracta dici nequit: itaque 'Appî, Atrêus, Nerêi' praefero sic explicans: ut 'Appî' circumflexa secunda syllaba, quam quia ex duabus in unam contrahunt et deinde flectunt dupliciter peccant.

Veterem legem linguae Latinae Quintiliano violare videbantur (I, 5, 25/27), qui Graecum accentum in adverbia et pronomina quaedam transferre et propter quaedam vocum discrimina ultimam syllabam acuere vellent; velut in 'circum litora' (Aen. IV, 254) praepositionem 'circum' acuto sono finiverunt, „ne, si gravem posuerint secundam, 'circus' dici videretur non 'circuitus'": praepositionem igitur a substantivo distinguere volebant. Iidem 'quale' pronomen interrogativum gravi, comparativum acuto sono concluserunt.

Idem de aliis praepositionibus et adverbiis ut 'sine, pone, ergo, falso, una, alias, verum' Priscianus (II p. 47, 4 H.) Donatus 371, 27, Diomedes 433, 4 K[25]) tradiderunt. Sano quodam iudicio Quint. de hac re sic exponit: „mihi videtur condicionem mutare, quod his locis verba coniungimus; nam cum dico 'circum litora' tanquam unum enuntio dissimulata distinctione; itaque tanquam in una voce una est acuta, quod idem accidit in illo „(Troiae qui primus) àb óris" (Aen. I, 1) .... separata vero haec a praecepto non recedent, aut si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur."

Quintilianus igitur artificiosam illam voculationem quorundam grammaticorum reicit: ipse praepositiones una cum sequenti verbo tanquam verbum compositum ita pronuntiavit, ut praepositio accentum suum amitteret. —

---

[25]) Corss. de pron. II,[2] 808 sqq- 862 sqq.

II.

De declinatione nominum et verborum sive de partibus orationis.

A.

De numero et distributione partium orationis.

Satis habeo de hac re ea commemorare, quae a Quintiliano I, 4, 18/21 afferuntur. Is veterem illam per partes orationis distributionem sequitur. Quarum numerus non constabat. Veteres ut Aristoteles et Theodectes 'nomina' tantum et 'verba' et 'convinctiones' distinxerunt. 'Convinctio' magis propria translatio Graecae vocis σύνδεσμος quam coniunctio, qua voce plerique utuntur, nostro esse videtur. Philosophi, praecipue stoici, convinctionibus adiecerunt 'articulos' et 'praepositiones', deinde nomini 'appellationem' et 'pronomen'; tum admixtum est 'participium', denique 'adverbium'.

Lingua Latina articulos non desiderat, qui ideo in alias partes orationis sparguntur; sed prioribus Romani 'interiectionem addiderunt.

Aristarchus et apud Latinos Palaemon octo partes orationis statuerunt 'appellationem' sive 'vocabulum' nomini subicientes. Qui 'nomen' a 'vocabulo' discernebant, novem partes secuti sunt.

Quint. Aristarchi et Palaemonis distributionem comprobare videtur, ut distinguat: 'nomen, verbum, convinctionem, praepositionem, pronomen, participium, adverbium, interiectionem.'

Fuerunt qui ipsum vocabulum ab appellatione ita discerne-'rent, ut esset vocabulum 'corpus visu tactuque manifestum', ut 'domus, lectus', 'appellatio', cui vel alterum vel utrumque deesset, ut 'ventus, caelum, deus, virtus'. Initium hoc quasi dixeris eius qua nunc utimur distributionis 'concreta', quae dicuntur et 'abstracta' distinguendi.

'Asseverationem' quoque et 'tractionem' quidam segregare voluerunt improbante Quintiliano, qui id etiam non diiudicat, quia parvi, ut ait, referat, 'vocabulumne' an 'appellatio dicenda sit προςηγορία et subicienda nomini necne.

Ex partibus orationis quaerit accuratius de nominibus et verbis; de ceteris vero nihil fere attulit. Primum videamus, quid de nominibus nos docuerit.

B.

De nominibus.

Nomina tria genera habent, masculinum, femininum, neutrum; aliis unum tantum est, aliis vero duobus generibus, aliis denique omnibus tribus generibus communis forma est (I, 4, 23). Hoc Quintiliano eam ob rem suo iure dicere licet, quia veteres grammatici substantiva et adiectiva nominum appellatione complectuntur.

In nominibus quibusdam animalium sexus uterque per alterum apparet, ut in 'lepus' (I, 6, 12): haec sunt 'promiscua' sive ἐπίκοινα (I, 4, 24). Neque vero semper de hac re convenit; nam quamquam Quintiliani temporibus 'lupus' marem 'lupa' feminam significavit, tamen Varro in eo libro, quo initia Romanae urbis enarravit, cum dicit 'lupum feminam' Ennium et Fabium Pictorem secutus hoc verbo tanquam epicoeno usus est (I, 6, 12). In universum masculinum, femininum, neutrum suam quidque positionem habent, sed etiam sunt, quae feminina positione mares (ut 'Murena') aut neutrali feminas (ut 'Glycerium') significant: ex terminatione igitur genus non semper deprenditur (I, 4, 24). Quae cum ita sint, saepe de genere dubitare potest, sed cum comparatione tum deminutione in genere cognoscendo adiuvamur, velut vocem 'funis' masculini generis esse Quint. et inde conicit, quod similis est voci 'panis' et inde, quod deminutivum 'funiculus' idem genus habet: nam deminutiva eodem quo verba integra genere sunt (I, 6, 5/6), sed forma saepius mutatur propter litterarum affinitatem: itaque

mirum non putat noster, quod ex 'scamnum' fiat 'scabillum' (I, 4, 12/13).

Sed inter scriptores de genere substantivorum non semper convenit, quo factum est, ut grammatici iam antiquitus de dubiis generibus quaererent et exempla componerent. Vergilius (Aen. XII, 208) 'stirps' tanquam masculino et 'palumbes' (ecl. III, 69) et 'silex' (ecl. I, 15) tanquam femininis utitur (I, 6, 2) comprobante Quintiliano, quamquam ipsum contrario genere uti apparet; sed ei displicet, si quis 'gladia' pro 'gladii' (I, 5, 16) et 'colli', ut Calvus dixit, pro 'colla' loquitur (I, 6, 42): nam hunc genere excidisse dicit. Itaque cum formam 'gladia' vituperet, in deminutivo 'gladiola' quoque, etsi Messala hac forma usus est, reicit (I, 6, 42) hanc rationem secutus: „etiamsi potest videri nihil peccare, qui utitur iis verbis, quae summi auctores tradiderunt, tamen refert non solum, quid dixerint, sed etiam, quid persuaserint.“

Nomina in universum quidem duos numeros singularem et pluralem habent, sed etiam sunt, et quae singulariter tantum dicantur et quae singulari careant. 'Scalae' et 'scopae' pluralia tantum, 'hordeum' et 'mulsum' singularia tantum sunt: fuerunt tamen, qui 'scalam' et 'scopam', nec minus, qui 'hordea' et 'mulsa' dicerent, quod Quint. barbarismum non putat, sed illa verba ideo tantum vitiosa ei videntur, quia pluralia singulariter et singularia pluraliter efferuntur (I, 5, 16). 'Cervicem' Hortensius primus videtur dixisse, nam veteres pluraliter appellabant (VIII, 3, 35: Quintiliani igitur aetate singularis numerus usitatior fuisse videtur.

Nomina in sex casus declinantur, etsi quaedam nonnullis casibus carent (I, 6, 25). Sed ablativi vis duplex itaque proprie septimus casus statuendus est: forma vero huius septimi casus eadem atque ablativi est (I, 4, 26).

Grammatici de vi casus septimi minime inter se consentiunt: Quint. (I, 4, 26; VII, 9, 10) ablativos instrumentalem et absolutum, quos dicimus, septimo casui tribuit. Paulo latius deinde Charisius (p. 36, 13; 154, 11; Char. exc. 534, 22) et Diomedes (p. 317, 23 K.) vim eius definiunt; denique omnium simplicissime Donatus (p. 377, 20) hos casus sic distinguit, ut sit ablativus cum praepositione 'ab', septimus casus sine ea. Itaque

dubium esse nequit, quin haec doctrina paulo ante Quintil. orta sit et libenter mihi persuaserim eam a Remmio Palaemone profectam esse.

Substantiva simili terminatione pariter fere flectuntur: itaque comparatione opus est, si declinationem vocis cuiusdam statuere volumus: quare si veniat in dubium 'hac domu' dicendum sit an 'hac domo' et 'domuum' an 'domorum', quaerendum esse Quint. ait, num similia sint 'anus manus' (I, 6, 5/6).

Ii qui analogiam solam defendebant hac ipsa omnia diiudicare posse sibi videbantur, velut comprobante nostro, quod 'lepus' et 'lupus' similia positione casibus numerisque dissentiunt, defendere conati sunt respondentes illa non esse paria, quia 'lepus' epicoenon esset 'lupus' masculinum (I, 6, 12). Arguto iam discrime opus fuit, si illis demonstrandum erat, cur verborum in er cadentium pars (ut 'aper') secundam, pars (ut 'pater') tertiam declinationem sequeretur: contendebant illud nomen (sc. aper) esse 'positum' (i. e. „nullius alius rei respectu dici" ut Spald. recte interpretatur), hoc (sc. pater) 'ad aliquid' esse; praeterea, quoniam utrumque a Graeco ductum esset, ad eam rationem recurrebant, ut *πατρός* patris, *κάπρου* apri faceret (I, 6, 13). „Illa tamen", pergit Quint., „quomodo effugient, ut, quamvis nomina feminina" (sic scripsi Keilium secutus (cf. Halmium II, 367) pro eo, quod in codd. est: ut nomina quamvis feminina) „singulari nominativo us litteris finita nunquam genetivo casu ris syllaba terminantur, faciat tamen 'Venus Veneris'; item cum es litteris finita per varios exeant genetivos, nunquam tamen eadem 'ris' syllaba terminatos, 'Ceres' cogat dici 'Cereris'? (I, 6, 14). Immo, quia saepe similes positiones in longe diversas figuras per obliquos casus exeunt ut 'virgo Juno, fusus lusus, cuspis puppis' (I, 6, 25) Quint. recte profitetur non per omnia duci analogiae rationem (I, 6, 12). „Non enim", inquit I, 6, 16, „cum primum fingerentur homines, analogia demissa caelo formam loquendi dedit, sed inventa est, postquam loquebantur et notatum in sermone quo quidque modo caderet. Itaque non ratione nititur, sed exemplo, nec lex est loquendi, sed observatio, ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit quam consuetudo." Quia sermo Latinus cum ex aliis linguis tum ex Graeca multa recepit (I, 5, 58), quaerit Quint., eademne ratione

per casus duci externa qua Romana conveniat; „si reperias“, inquit ipse, „grammaticum veterum amatorem, neget quidquam ex Latina ratione mutandum, quia, cum sit apud nos casus ablativus, quem illi non habent, parum conveniat, uno casu nostro, quinque Graecis uti: quin etiam laudet virtutem eorum, qui potentiorem facere linguam Latinam studebant, nec alienis egere institutis fatebantur: .... nunc recentiores Graecis nominibus Graecas declinationes potius dare instituerunt, quod tamen ipsum non semper fieri potest. Mihi autem placet rationem Latinam sequi, quousque patitur decor.“ Forma 'Calypsonem' reiecta in ceteris, quae poterunt utroque modo non indecenter efferri, qui Graecam figuram sequi malet, non Latine quidem, sed tamen sine reprehensione nostro loqui videtur. Ut iam ex his verbis manifestum est Quintilianum formas Graecas praetulisse, sic hic usus codicibus Quintilianeis comprobatur, cum plerisque locis forma Graeca inveniatur. [25])

His in universum praemissis ad ea transeo, quae ad singulas declinationes pertinent ordinem quo nunc utimur secutus: num Quintiliani aetate hic usus iam constiterit nescimus, quia hac de re ipse nihil dixit. Certe non est, cur dubitemus, quin Quint. in arte grammatica Palaemonem magistrum, grammaticum clarissimum, secutus sit; neque vero constat, quot declinationes esse ille putaverit, cum Charisius et Diomedes, quos arte grammatica Palaemonis usos esse constat [26]), de numero declinationum inter se dissentiant: ille enim (p. 18, 7) quattuor, Diomedes (303, 12 septem vel decem statuit; alii ut Probus (p. 3, 1) et Priscianus (I p. 365, 11; II, 443, 1 H) easdem quinque ac nos esse putant.

1. De prima declinatione.

A littera in nominativo huius declinationis correpta, in ablativo producta erat; nam quae tradit Quint. I, 7, 4 „apicem apponere necessarium est, cum eadem littera nom. casu brevis, ablativo longa est“ ad primam tantum declinationem spectare possunt.

[25]) Bonnell de gramm. Quint. p. 21/25.
[26]) Gramm. Latt. ed. Keil I praef. p. 49 sqq.

In genetivo et dativo sing. et nominativo plur. Quintiliani aetate formae nisi ae litteris finitae in usu non erant, cum apud veteres etiam ai litteris scriberentur, qua de re tradit noster I, 7, 18/19: „ae syllabam, cuius secundam nunc e litteram ponimus, varie per a et i efferebant (veteres), quidam semper ut Graeci, quidam singulariter tantum, cum in dativum vel genetivum casum incidissent, unde 'pictai vestis' et 'aquai' Vergilius (Aen. IX, 26 et VII, 464) amantissimus vetustatis carminibus inseruit. In iisdem plurali numero e utebantur 'hi Syllae, Galbae'. Est in hac quoque parte Lucilii praeceptum, quod quia pluribus explicatur versibus, si quis parum credet apud ipsum in nono requirat" (cf. I, 5, 17). Quint. non ignorans vetustis temporibus ai diphthongum saepissime scriptam esse hoc loco diphthongum aî et terminationem āī non acriter distinguit. Neque vero verisimile est eum putasse veteres, si ai scriberent, hanc syllabam semper ut in illis Vergilianis exemplis āī pronuntiasse, sed ex verbis 'quidam semper ut Graeci' colligi potest eum pro certo habuisse — ut re vera est — iis temporibus, qnibus ai et ae promiscue usurpabantur, sonum utriusque eundem fuisse; et quod illa Vergilii pictāī, aquāī' hic commemorat, hanc scribendi rationem tantum, non pronuntiationem respicit. Terminatio āī, quam usque ad Plauti tempora in usu fuisse Corssenus[27]) putat, certe, ut non ignorabat Quint., cum Lucretii tum Vergilii aetate iam dudum obsoleta fuit, quamquam Lucretius ea satis saepe usus est. Sed hi poetae formas illas carminibus suis inserentes amantissimi vetustatis Plautum Enniumque imitati sunt et carminibus suis tanquam antiquum colorem inducere voluerunt. Sed repugnare videtur, quod Quint. I, 5, 17 barbarismum esse putat 'Europaï' et 'Asiaï' dicere, quas formas Vergilio crimini non vertit. At apparet, etiamsi Vergilium, qui 'amantissimus vetustatis haec carminibus suis inseruit', non reprehendit, tamen eum poetas suae aetatis vituperare posse, qui non verae admirationi vetustatis indulgentes, sed ut erant parvo ingenio vel propter solum metrum vel, ut hoc antiquitatis colore carmina sua commendarent, hunc obsoletum usum sumere ausi sunt.[28])

---

[27]) de pron. I,[2] 681; II, 720. [28]) Schneider, Gramm. Lat. I, 52.

Iam vero hoc loco „ut divisio Europaï Asiaï“ melius scribi puto, quam quod in codd. est: „ut divisio Europae Asiae“. Grammatici enim, ubi de divisione i. e. diaeresi huius diphthongi loquuntur, non de ae, sed de ai tantum dicunt, Vergilianis illis exemplis ‘pictai aulai aquai’ utentes. cf. Fest. P. p. 25, 14 M. Pomp. 297, 28 Mar. Victor. 14, 1 K. Vel. Long. 2222 Scaur. 2254; 2259 P. Mart. Cap. 3 § 266.

De genere excipiuntur, quae naturaliter sexum masculinum habent, ut ‘Murena’ (I, 4, 24). Apud Vergil. (Georg I, 183) ‘talpa’ quoque et ‘dama’ (ecl. VIII, 28) masculini generis sunt, quod Quint. non reprehendit, sed (IX, 3, 6) figuram circa genus factam appellat, cum dicit: „subest ratio, quia sexus uterque altero significatur tamque mares esse talpas damasque quam feminas certum est.“[29])

De Graecis huius declinationis vocabulis ‘as’ vel ‘es’ litteris finitis Quint. dicit I 5, 61/62: „ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur (veteres), ideoque et apud Caelium legimus ‘Pelia cincinnatus’ et apud Messalam ‘bene fecit Euthia’ et apud Ciceronem ‘Hermagora’, ne miremur, quod ab antiquorum plerisque ‘Aenea’ ut ‘Anchisa’ sit dictus et causam hanc affert ibidem: „nam si ut ‘Maecenas, Sufenas, Aspraenas’ dicerentur, genetivo casu non e littera, sed tis syllaba terminarentur.“ Charisius quoque hoc tradit p. 67, 12 (20, 10) „Masculina modo s, modo a nominativo casu veteres terminaverunt, velut ‘Anchises Anchisa’“ et p. 66, 111: „As terminata nomina casu nominativo in genetivo in ae deficient (fortasse legendum est: ‘desinent’) ut ‘Aeneas Aenea .... quamvis veteres ‘hic Aenea’ dixerint sine s .... Omnia nomina, quae as terminantur syllaba, si quidem Latina sunt masculina, tertii ordinis erunt, velut ‘hic Suffenas Suffenatis, hic Maecenas Maecenatis’.“ Dubitare igitur vix possumus, quin veteres his formis usi sint, quamquam ‘Hermagora’ sine s in nostris Ciceronis codicibus non invenitur.[30])

---

[29]) Neue, Lat. Formenl. I, 633, 636, 639.
[30]) cf. Halm. ad h. l.; Neuium l. c. I, 36; Corss. II, 433.

2. De secunda declinatione.

Vocabulorum in us et er terminatorum pars secundam declinationem sequitur, ut 'lupus aper', pars vero tertiam (I, 6, 12/13) ut 'lepus pater'.

Quintiliano auctore et comprobante Ennius Graecos imitatus genetivum huius declinationis in oeo desinentem adhibuit: locum difficillimum et a viris doctis maxime vexatum, in quo Quint. illud tradidit, novissimus editor sic scripsit: (I, 5, 12) „at in eiusdem vitii geminatione 'Mettoeo Fufettioeo' dicens Ennius poetico iure defenditur." Quod pro 'Mettoeo Fufettioeo' in codicibus legitur, corruptum est: Bn enim exhibet: 'etieo fufetioeo', Bg 'etieo fufecio eo', A et b (partim in rasura) 'mettioeo et furetioeo', S 'et tieo suffectio eo'; iam vero in omnibus pro 'eiusdem' exstat 'eadem'.

Priusquam de verbis restituendis quaeramus de nexu sententiarum pauca addenda sunt. Loquitur Quint. in iis quae antecedunt de barbarismis ac primum de eo, qui fit in scribendo adiectione detractione immutatione transmutatione. Sed quae in prosa oratione vitia sunt, apud scriptores carminum saepe aut venia digna sunt aut etiam laudi ducuntur. Tum haec verba sequntur „nam duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinga Placentinus .... 'preculam' pro 'pergula' dicens et immutatione et transmutatione .... At in eadem vitii geminatione * * dicens Ennius poetico iure defenditur."

Ad verba restituenda maxime interest, quam sententiam in his verbis inesse putes. Mihi autem vera huius loci sententia haec esse videtur: quae prosae orationis scriptoribus crimini vertuntur, apud poetas saepe venia digna sunt aut etiam laudi ducuntur: itaque Tinga quidem Placentinus, quod in una voce duos barbarismos fecit, iure vituperatur; contra Ennius idem vitium i. e. in uno nomine duos barbarismos admittens, quin etiam hoc bis deinceps faciens (i. e. geminatio) poetico iure defenditur. Haec vera sententia esse mihi videtur, cum sic omnia habeant, quo referantur: pronomen 'idem' ad ea quae antecedunt: 'nam duos in uno nomine faciebat barb. T. Pl.' pertinet. Minime Quint. meo iudicio contendit Ennium eosdem barbarismos

fecisse ac Tingam Pl., sed nihil dicit nisi utrumque duos in uno nomine fecisse. Deinde 'geminatio' ad duo exempla, quae affert Quint., spectat: simul videmus, cur duo exempla afferantur. Haec sententia in tradita scriptura esse nequit, nec in ea, quam Ritschelius[31]) proposuit: 'at enim adeo vitii geminatione', sed cum Halmio scribendum est 'at in eiusdem vitii geminatione'. Iam Ritschelius[32]) coniecerat: 'At eiusdem vitii gem.' sive 'at cum eiusdem vitii gem.', sed improbavit, quia hanc scripturam longius a codicibus abesse putavit. Idem[33]) dubitat, num Latine dicatur 'in geminatione dicens defenditur': sed iure monet Halmius ad h. l. praepositionem 'in' ferri posse, si 'in e. v. gem.' referas ad 'defenditur' et Claussenus exemplum attulit (Quint. I, 4, 5): „(soloecismi) in quibus patrium pro possessivo dicitur", cui adiungas V, 7, 30: „extra causam quoque multa rogari solent, ... in quibus aut dicant aliquid" etc.

Sed nunc videamus de exemplis illis a Quint. allatis. Si sententia, quam dixi, huic loco inest, sequitur, ut Buecheleri[34]) coniectura: 'Metti Fufetioeo' falsa sit, cum duo exempla eiusdem generis postulentur. In codicum vero scriptura, quod iam G. Hermannus[35]) vidit, Homerici illi genetivi 'oeo' syllabis finiti tam clare nobis occurrunt, ut procul dubio hos Quint. intellexerit. Omittere igitur possumus veterum editionum scripturam 'Metieo Fufetieo', quae quid sibi velit nescio, et Vahleni[36]) coniecturam 'Mettoi Fubettoi'[37]) et Bergkii[38]) 'Metie o Fufettie', praesertim cum unaquaeque plures difficultates praebeat. Illud autem quaeritur, quomodo haec verba scribenda sint: usitatissima forma nominis dictatoris illius Albanorum, si quid video 'Metius Fufetius' est, quamquam 'Mettus' quoque invenitur. Itaque scribendum est aut 'Metioeo Fufetioeo', quod G. Hermannus, Ritschelius, alii probaverunt, aut 'Mettoeo'. Quibus versus locis Ennius his formis uti potuerit, G. Hermannus[39]) et Ritschelius[40]) explicuerunt. Non intellego, qua ratione ductus Halmius scripserit 'Fufettioeo' t littera geminata; nam hac forma poeta

---

[31]) Mus. Rh. XXII p. 602. [32]) l. c. p. 601. [33]) l. c. 601.
[34]) Lat. Decl. p. 54. [35]) in Meyeri edit. Quintil.
[36]) Ennii rell. p. 21. [37]) cf. Bergk. ann. phil. 83 p. 328.
[38]) ibid. [39]) in Meyeri ed. Quint. [40]) l. c. 602.

uti non potuit, nisi i littera loco consonantis accepta hanc vocem ita adhibuit, tanquam quattuor syllabarum esset, quod vix credibile est, quoniam forma 'Fufetioeo' versui aptissima exstabat: habent vero 'Metioeo Fufetioeo' binos barbarismos, ut recte cognovit Claussenus, et immutationem et adiectionem, cum ex Quint. doctrina (§ 23) 'Metii Fufetii' iustae formae sint.

In genetivo plur. huius declinationis antiquitus duae terminationes promiscue in usu erant, primum 'orom' et 'om', deinde 'orum' et 'um'. Inde a Cicerone genetivi in um exeuntes in quibusdam tantum vocabulis remanent (Prisc. I, 308); Quint. (I, 6, 18) ex sua aetate 'nummum' et 'deum' affert· Quamquam 'um' fortasse terminationi Graecae 'ων' respondet, tamen u littera correpta fuit Quintiliani certe aetate: nam primum Priscianus (I p. 366, 21) tradit terminationes m littera finitas breves esse; deinde maximi momenti est, quod Quint. I, 6, 18 dicit: „idem 'centum milia nummum' et 'fidem deum' ostendant duplicis soloecismos esse, quando et casum mutant et numerum": loquitur igitur de genetivis 'nummum' et 'deum' prorsus, tanquam eaedem formae sint atque accusativi 'nummum' et 'deum', quod meo iudicio facere non potuit, si in genetivo u producta, in accusativo correpta fuisset.

Verba in 'um' desinentia neutra sunt, nisi natura genus femininum habent, ut 'Glycerium'. (I, 4, 24.)

Sunt quaedam huius declinationis adiectiva et pronomina satis nota ut 'unus solus, totus' etc., quae, quamquam in genetivo ῑus fere terminationem habent, tamen a poetis saepe brevi paenultima usurpantur,[41]) ut apud Vergil. legitur Aen. I, 6 'unῐus'. Quod si noster dicit (I, 5, 8) „hoc extra carmen non deprendas" hoc etiam ad reliqua illa vocabula pertinere censeo, quae Quintiliani aetate producta paenultima pronuntiabantur, quamquam Cicero sine dubio 'illῑus' locutus est, quod primus Lachmannus[42]) ex Cic. de or. III, 47, 183 ostendit. Accuratissime de mensura huius terminationis egit Ritschelius.[43])

---

[41]) Neue, Lat. Form. II, 181; Corss. I² 672.
[42]) Mus. Rhen. 1842 p. 320.
[43]) opusc. phil. II, p. 662/708.

3. De tertia declinatione.

Voces, quae postea or habebant, apud antiquos saepe os terminabantur, ut 'arbos, labos vapos clamos' (I, 4, 13).

Omnia nomina Latina masc. generis, quorum prima positio in 'or' litteras exit, obliquis casibus paenultima syllaba producta pronuntiantur (I, 5, 60).

Nomina propria Latina in nominativo in as cadentia ut 'Maecenas, Sufenas, Aspraenas' (cf. Charis. p. 66 K) in genetivo tis syllaba terminantur (I, 5, 62).

Vocabula es litteris finita in varios genetivos exeunt (I, 6, 14) ut in itis 'miles limes' (I, 6, 24); nunquam vero in ris syllabam excepto modo 'Ceres Cereris' (I, 6, 14).

Ut verba es, sic ex quoque syllaba terminata e, quam in nominativo habent, in ceteris casibus in i mutant, ut 'iudex iudicis, vindex vindicis', quod Quint. propter affinitatem e et i litterarum fieri putat (I, 6, 24).

Verborum in er et us desinentium pars secundam declinationem, pars vero ut 'pater patris, lepus leporis' tertiam sequitur (I, 6, 13).

Nomina feminina us litteris in nom. sing. finita nunquam in genetivo ris syllaba terminantur: 'Venus' tantum facit 'Veneris' (I, 6, 14). Accuratius de hac re loquitur Charisius 74, 9: „Omnia nomina, quae us nominativo proferuntur, quae quidem masculina aut feminina sunt, genetivum faciunt aut per i aut per us: excipiuntur in femininis haec: 'tellus telluris, Venus Veneris'."

Negotium grammaticis verba in ur cadentia fecerunt; cum enim 'robur' et 'ebur' 'roboris' et 'eboris' haberent, quidam in nominativo etiam 'robor ebor' scribere volebant; alii quia 'sulpuris' et 'gutturis' in genetivo dicebatur, recte dici 'iecoris' et 'femoris' negabant. Alii ut Antonius Gnipho 'robur' et 'ebur' atque etiam 'marmur' defendebant, sed propterea in ceteris quoque casibus u postulabant 'robura ebura marmura' (I, 6, 24). Noster, ut est sano iudicio, addit „quod si animadverterent litterarum adfinitatem, scirent sic ab eo, quod est 'robur' roboris

fieri, quomodo ab eo, quod est miles limes, militis-limitis, iudex vindex, iudicis vindicis'." [44])

Quaedam verba a primis statim positionibus tota mutantur ut 'Iupiter' (I, 6, 25).

Loquitur Quint. de Graecis quoque nominibus. Veteres Latini eorumque admiratores nomina propria in or exeuntia ut 'Castor' in obliquis casibus paenultima producta pronuntiarunt, quia hoc omnibus Romanis nominibus or syllaba finitis accidebat. Apparet Quintilianum pariter ac Charisium (131, 28) 'Castŏris' etc. probasse.

Quomodo nomina on litteris apud Graecos finita scriberent, Latini dissenserunt: veteres (I, 5, 60) retinuerunt, ut 'Palaemo, Telamo, Plato' (quem sic Cicero quoque appellabat) dicerentur, quia Latinum, quod o et n litteris finiretur, non reperiebant. Quint. sine dubio Graeca terminatione on in his nominibus usus est, quod et his verbis et codicibus eius confirmatur.[45]) Usus apud Latinos minime constabat;[46]) in universum, quae apud Graecos '*ων ωνος*' habent, apud Latinos o, contra quae '*ων οντος*', on praetulerunt. Sed ne ea quidem certa lex erat. Cornelius Nepos Graecam terminationem 'on' tenet [47]) quae inde ab Augusto usitatior est, et Quintiliani aetate (I, 5, 63) mos erat Graecis nominibus Graecas declinationes dare. Apud Plautum Terentiumque ea quoque, quae apud Graecos '*οντος*' habent, o littera terminantur et in ceteris casibus t omittunt, ut 'Antipho Antiphonis'. (Prisc. I, 220, 10.)

Verba quae apud Graecos *ευς* syllaba terminantur, in lingua Latina 'es', ut 'Achilles, Ulixes', in genet. casu in diversas terminationes exeunt, in 'ei, i, is' [48]). Quint. 'Ulixi, Achilli' (I, 5, 63) veteres formas dicit, quas ipse comprobasse videtur: idem sentit Charisius 23, 3: „ea nomina secundo ordini attribuntur, quae apud Graecos genetivo casu *πλεονοσύλλαβα* sunt, velut *Ἀχιλλεὺς Ἀχιλλέως, Ὀδυσσεὺς Ὀδυσσέως*, velut 'Achilles Achilli, Ulixes Ulixi'. Sed quidam dicunt 'hic Achilleus, huius Achillei, hic Ulixeus, huius Ulixei'. Alii vero tertii ordinis

---

[44]) Neue I, 172 sqq.
[45]) Bonnell de gramm. Quint. p. 24.
[46]) Neue I, p. 155.
[47]) Neue I, 160.
[48]) Neue, I, 339 sqq.

dicunt esse, velut ‘hic Achilles, huius Achillis, hic Ulixes, huius Ulixis’.“

Feminina quoque in o cadentia varie declinata sunt: veteres, ut tradit Quint. I, 5, 63, secundum Latinam rationem accusativum fecerunt, ipsi placet rationem Latinam sequi, quousque patitur decor; „neque enim“, inquit, iam ‘Calypsonem’ dixerim ut ‘Iunonem’, quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi; sed auctoritatem consuetudo superavit.“ Quint. igitur Graeco accusativo ‘Calypso’ usus est. Charisius de hac re dicit 63, 18: „Quidam Graece declinare maluerunt ‘huius Didus, Sapphus, Inus’. Sed melius esset secundum Latinam consuetudinem ‘huius Sapphonis, Didonis’ dicere.

De genere verborum huius declinationis noster pauca commemorat: verba ex syllaba finita masculina sunt; attamen ‘cortex’ apud Vergil. et masculinum (Geor. II, 74) et femininum (Ecl. VI, 62) est, quorum neutrum reprehendit Quint., cum sit utriusque Vergilius auctor; idem ‘silex’ tanquam feminino utitur (Ec. I, 15), item ‘palumbes’ (Ecl. III, 69), contra ‘stirps’ tanquam masculino (Aen. XII, 208), quod Quint., quia propter metrum his locis contrario quoque genere uti potuit, minime vituperat (I, 6, 2).

Ea verba quae in ix cadunt generis feminini sunt et reprehenditur Pollio (I, 6, 42), quod ‘hos lodices’ dixit.

4. De quarta declinatione.

Huius declinationis genetivum imprimis diu incertum fuisse nemo nescit: Quintiliani quoque temporibus in quibusdam vocibus genetivus in i cadens in usu fuit, nam dicit I, 6, 23: „quid de aliis dicam, cum senatus ‘senati’ an ‘senatus’ faciat, incertum sit?“ Sed de hoc loco pauca adicienda sunt. Codices enim Bn et Bg exhibent: „cum senatus senatui senati an senatus faciat“, cum in SMab legatur: „senatus senatus senatui an senatus senati senato“, quod corruptum esse facile apparet. A vero nihil habet nisi ultima duo verba „senatus faciat“. Spaldingius, quia in Bn sic scriptum esse putavit: „senatus senatui an se-

natus", hoc ita emendavit lenissima mutatione: „cum senatus 'senati' an 'senatus' faciat", quod Bonnellus et Halmius receperunt. Omnes priores emendationes dignas non esse quae respicerentur ratus Ritschelius[49]) magna quadam fiducia coniecit: „cum senatus 'senatus senatui' an 'senati senatu' faciat, incertum sit". Sed primum quidem in optimis tribus codicibus 'senatus' ante faciat exstat; deinde quamquam Quint. de dativo quoque loqui potuit, cum utraque forma in usu esset et formam u littera finitam Caesar (Gell. IV, 16, 9) legitimam duxisset, tamen vix puto nostrum, cum hoc loco de analogia et de iis, quae ab ea recedunt, loquatur, diversarum declinationum formas ita iuncturum fuisse; neque enim eam ob rem, quod genetivus est 'senati' sequitur, ut dativus sit 'senatu'; immo in singulis partibus interrogationis formas eiusdam declinationis componendas esse puto. Qua de causa in codicibus SabM 'senati senato' scriptum esse videtur. Nescio an Quint. si de dativo loqui voluisset, sic scripsisset: „cum senatus 'senati' an 'senatus' et 'senatui' an 'senatu' faciat incertum sit?" Libenter igitur mihi persuaserim scriptorem de dativo nihil addidisse. Facillima haec mutatio esset: „cum senatus 'senatuis' an 'senati' an 'senatus' faciat incertum sit." Sed recte Ritschelius monet de forma 'senatuis' cogitari non posse, quia Quintiliani temporibus in usu non fuerit. Quare Spaldingii scriptura mihi probatur et sola dittographia factum esse puto, ut in optimis codicibus 'senatui' adderetur.

Vox 'domus' grammaticis negotium fecit, cum et quartam et secundam declinationem sequeretur. Ex verbis Quintiliani I, 6, 5: „comparatio in nominibus .... deprendit .... declinationem, ut si veniat in dubium 'hac domu' dicendum sit an 'hac domo' et 'domuum' an 'domorum', similia sint 'anus manus'" non cognoscitur, quasnam formas ipse praetulerit: sine dubio omnes in usu erant (cf. Donat 378, 33), quamquam Charisius (45, 25) 'domu' et 'domuum' postulat.

---

[49]) l. c. p. 606.

5. De quinta declinatione.

Complures casus huius declinationis iam antiquitus obsolescere coeperunt. In genetivo formae in 'es, ei, e, i' exeuntes in usu erant[50]); quaedam verba ut 'progenies' genetivo sing. (I, 6, 26) carebant. In plur. numero bona aetate omnia fere verba defectiva erant exceptis 'dies' et 'res' aut eo omnino carebant. Quintiliano testante (I, 6, 26) voci 'spei' genetivus plur. defuit, quod confirmat Prob. (88, 11).

Jam de accusativo 'diee', quae forma in editionibus IX, 4, 39 exstat, plura addenda sunt. Dicit Quint.: „et illa Censori Catonis 'diee hanc' aeque m littera in e mollita; quae in veteribus libris reperta mutare imperiti solent, et dum librariorum insectari volunt inscientiam, suam confitentur.“ Ex iis, qui Catoni miram illam formam 'diee'pro 'diem' obtrudere volunt, Schneiderus[51]) eam sic ortam esse putat, ut ex trisyllaba 'dieem' Cato m omitteret. Similiter Corssenus[52]) explicat ex forma 'diesem' 'dieem' et ex hac eiecto m 'diee' factam esse. Sed recte Buechelerus[53]) monere videtur trisyllabam formam 'dieem' nunquam exstitisse ratus in illo 'diee' Catonem geminatione e litterae ad longam vocalem exprimendam usum esse. Sed primum valde dubitari potest, num Catonis temporibus illud e in 'diem' longum fuerit, deinde lectio illa codicum auctoritate minime defenditur, cum in AG scriptum sit 'dieae hac eque'; in S 'die et hac aque'; in M 'dicte hecque'. Deinde mirum est, quod Quint. dicit „et illa Catonis“; quis est quin his verbis praemissis duo certe excempla exspectet? Attamen Quint. unum 'diee hanc' attulisse satis habet. Iam vero pergit: „quae in vet. lib. reperta“ rursus pluralem numerum adhibens, quamquam hoc enuntiatum ad solum Catonis exemplum pertinet. Accedit, quod vix Quint. dicere potest „et illa Cat.“, nisi, quae afferre voluit, iam commemoraverat: nam procul dubio Catonis genus dicendi adeo omnibus notum non fuit. Itaque duo minimum exempla afferenda et aptissima erant, de quibus Quint. iam dixerat. Quo concesso

---

50) Buecheler Lat. Decl. p. 34; Neue I, 387.
51) Gr. Lat. II, 361. 52) De pron. I,² 15. 53) l. c. p. 25.

facile in illa Catonis 'dice et facie' incidimus, de quibus I, 7, 23 dixit; etsi ne hic quidem codicum scriptura corrupta non est, tamen 'dice et facie' scribendum esse satis clare cognoscitur, cum in AMS legatur 'dice et face' in Bg et Bn: 'dicae et faciae'.[54]) Haec duo exempla nostro quoque loco repetenda esse, cum Bergkius cognosceret[55]), scripsit IX, 4, 39: „et illa Censorii Catonis 'dicee faciee', aeque M littera in E mollita" et I, 7, 23: „dicee et faciee." Bergkii sententia eo adiuvatur, quod paulo post Quint. de m littera dicit: „atqui eadem illa littera, quotiens ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur, ut 'multum ille' et 'quantum erat', adeo ut paene cuiusdam novae litterae sonum reddat". Nam hoc argumentum Quint. afferre potuit, ut demonstraret, quo iure Cato 'dicee' pro 'dicem' scriberet. Cato enim e littera illum paene novae litterae sonum fortasse expressisse sibi videbatur. Si vero Bergkii coniectura recta est, certe 'aeque' delendum, cum Quint. antea non de s mollita, sed de s eiecta locutus sit et appareat, si 'dicee facieeque' scribimus, illud 'aeque' in codd. nihil auctoritatis habere, cum 'facie eque' in 'facieeque' coniungantur. Sed Bergkii coniectura recepta difficultates quaedam remanent. Quint. enim hoc loco inde a § 33 de evitanda asperitate orationis dicit, quae fiat iunctura verborum, ac primum quidem de vocalium concursu, de hiatu et synaloephe; tum inde a verbis: „Ceterum consonantes quoque" sqq. de consonarum concursu quaerit. Ad hanc asperitatem vitandam Lucilius et alii in versu s litteram eiecerunt; ut 'Aeserninu' fuit' et 'dignu' locoque' et ob eandem rem, ait Quint., dictum esse 'belligerare pomeridiem' et a Catone 'dicee faciee' m littera in e mollita. Hoc tolerari nequit, cum Quint. hoc quoque loco de eicienda m littera loqui debeat, non de mollienda. Accedit quod Festus[56]) quoque auctore Verrio Flacco tales formas apud Catonem inventas esse tradidit, ut 'attinge, dice, ostende, recipie' pro 'attingam' etc. Quare non dubito, quin Ribbeckius[57]) recte scrip-

---

[54]) Quintil. ed. Halm II p. 367. [55]) Symbol. p. 153.
[56]) Cat. ed. Jord. p. 90; Corss. I,[2] 267.
[57]) Mus. Rh. 1870 p. 428.

serit 'dice facieque'. In ceteris vero Ribbeckio non assentior scribenti: „'dice facieque' A littera in E mollita". Praeterea postea M inserere cogitur: „atqui eadem illa (M) littera" etc. Primum propter hoc 'eadem' paene necesse esse videtur m litteram antea ab Quint. nominatim commemoratam esse; deinde illud 'A l. in E mollita' mihi displicet: possunt ex doctrina Quintiliani consonantes in alias molliri, ut c et g in t et d (I, 11, 5); potest 'ab' syllaba in 'abversa' in 'a' molliri (XII, 10, 32), sed talem mutationem ut 'dice' pro 'dica' Quintil. immutationem appellat (I, 5, 10. 12). Itaque facillima mutatione rectius sic scribi puto: „'dice facieque' m littera emollita", quod dici posse mihi videtur coll. XII, 10, 32.

C.

De nominibus numeralibus.

'Duo' et 'tres' in neutro genere 'duo' et 'tria' dicuntur et formas 'dua' et 'tre' Quint. vitiosas et barbaras appellat (I, 5, 14/15); sed formulae 'duapondo' et 'trepondo', quae sine dubio ex communi sermone in scriptorum usum transierunt, eodem testante ab omnibus atque Messala auctore recte usurpabantur. Hoc loco in codd. scriptum est: „nam et 'dua' et 'tre' et 'pondo' diversorum generum sunt barbarismi, at 'duapondo' et 'trepondo' usque ad nostram aetatem dictum est." Omnibus circumspectis persuadere mihi non possum illud 'et pondo' locum hic habere, sed Spaldingio assentior haec verba delenda esse.

D.

De adverbiis.

Praeter propria adverbia substantiva quoque interdum adverbiorum officio funguntur, ut 'diu' et 'noctu', quae Quint. I, 4, 29 vocabula in adverbium transeuntia appellat.

E.

De verbis.

Quid sit verbum brevissime Donatus p. 381 K definit: „verbum est pars orationis cum tempore et persona sine casu aut agere aliquid aut pati aut neutrum significans“.

Declinatione verbi singula accidentia oriuntur, ex quibus natura eius intellegitur. Haec accidentia nosse litterarii paene ludi et trivialis scientiae est (I, 4, 27); enumerat Quint. (I, 4, 27; I, 5, 41) haec: genera, tempora, personas, modos, numeros; grammatici velut Donatus p. 381 his adiciunt ‘coniugationem’ et ‘figuram’.

Primum quae genera verbi Quint. intellexerit, non dicit; a grammaticis ut a Donato p. 383, 1 et Diomede (336 K) quinque distinguuntur: activa, passiva, neutra (i. e. intransitiva veluti ‘sto curro’), deponentia, communia i. e. quae r littera terminantur et in duas formas cadunt patientis et agentis ut ‘criminor te’ et ‘criminor a te’.

Passivi generis Quintiliani sententia tres modi sunt (I, 4, 28): primum verum passivum verbi transitivi est, ut in illo Vergiliano exemplo (Ecl. I, 11): „totis usque adeo turbatur agris“; deinde in forma passiva significatio quoque reflexiva inest, ut apud Vergilium (Aen. X, 1): „panditur interea domus omnipotentis Olympi“. In prosa oratione pauca verba hanc significationem reflexivam habuerunt ut ‘lavari, tonderi’, sed ‘velli’ Quintiliano reprehensione carere non videbatur (I, 6, 44). Denique quaedam verba, quae fere intransitiva sunt, accusativum ferre possunt eamque ob rem passivo quoque genere dicuntur, ut ‘urbs habitatur’, ‘campus carritur’, ‘mare navigatur’; sed quae semper intransitiva sunt in passivo tertiam modo personam neutrius generis habent, ut ‘itur’, nam quod initium, inquit Quint. I, 4, 28, eius invenias? Tanquam simile huic ibidem ‘fletur’ comparat.

Ex temporibus deinde commemorantur praesens et praeteritum (IX, 3, 11; I, 6, 26). Distributio grammaticorum simpli-

cissima est; dicit Donatus p. 384, 10: „tempora verbis accidunt tria, praesens praeteritum et futurum .... sed praeteriti temporis differentiae sunt tres: 'imperfecta perfecta plusquamperfecta'.

Personae verbi in utroque numero prima, secunda, tertia sunt (I, 4, 27. 29; I, 5, 45; I, 6, 15).

Modos verbi Quint. sex statuit (I, 4, 27; I, 5, 41); alii, ut ipse ait, octo; quos intellexerit ex iis, quae ipse tradit, diiudicari non potest, cum duos tantum nominatim afferat: indicativum (I, 6, 27) sive 'fatendi modum', qui 'finitivus' quoque sive 'pronuntiativus' ab aliis appellatur et 'coniunctivum' (IX, 3, 11), quem alii subiunctivum vocant. Sed ex Charisio et Diomede satis certo cognoscitur, quos modos Palaemon statuerit; eosdem sine dubio Quint. intellexit. Charisium et Diomedem permulta ex Palaemone petiisse Keilius in praef. p. 49 ostendit; idem p. 51 dicit: „certo ea, quae et in fine eius libri (apud Charis.) 262, 25 sqq. et copiosius apud Diomedem 388, 10 sqq. de qualitatibus Latini sermonis vel de coniunctione temporum scripta sunt, ab hoc (Palaemone) translata esse constat."

Illis vero quos attuli locis Charisii et Diomedis a Palaemone quinque modi commemorantur: finitivus, subiunctivus, optativus, imperativus, infinitivus. In his modis omnes grammatici consentiunt, quare dubium non est, quin etiam Quint. hos intellexerit. Sed quaeritur quem sextum putaverit. Charisius 168, 2 (cf. exc. Char. 562, 21) septem enumerat: „modi sunt septem: indicativus imperativus, promissivus, optativus, coniunctivus, perpetuus, impersonalis. Eosdem Donatus 381 K discernit. Diomedes vero 338, 6 dicit: „modos quinque esse omnes fere grammatici consentiunt; nam qui sex voluerunt vario iudicio alii 'promissivum', quidam impersonalem coniungunt; qui septem utrumque prioribus adiciunt; qui amplius, percontativum adsumunt; qui novem subiunctivum a coniunctis separant; qui decem, etiam adhortativum adscribunt." Meo iudicio iam ex eo, quod impersonalis ab omnibus in fine enumeratur, apparet hunc modum post 'promissivum' demum distinctum esse; iam vero artificiosius esse videtur impersonalem qum promissivum discernere: quare non dubito, quin Quint. sextum modum intellexerit promissivum, non impersonalem.

Numeros denique sermonis Latini Quint. duos agnovit, singularem et pluralem, (I, 5, 42), praeter quos Graeci dualem habent. Vituperat Quint. eos, qui Latinae quoque linguae dualem adiciebant: nam cum tertia persona plur. perf. duas formas haberet 'ere' et 'erunt' syllabis finitas fuerunt, qui tales formas ut 'scripsēre, legēre' dualem putarent. Inter quos Antonium Rufum Quint. affert, qui hoc argumento praecipue usus est ad sententiam suam confirmandam, quod praeco post habitas a patrono utriusque litigantis in causis orationes pronuntiare solebat: „dixere". Sed Quint. hanc formam recte pluralem ducit ratus 'erunt' in 'ere' evitandae asperitatis gratia mollitum esse eam ob rem, quod hic numerus dualis, qui dicitur, in illa una forma perfecti temporis servatus sit, cum apud Graecos et in verbi tota fere ratione et in nominibus deprendatur et sic quoque rarissimus sit eius usus. Deinde apud Romanum neminem hanc observationem reperiri, quin talia, ut 'devenere locos' (Verg. Aen. I, 369) et 'conticuere omnes' (Aen. II, 1) et 'consedere duces' (Ovid. met. XIII, 1) aperte docere hac forma pluralem significari, cum omnibus his locis plures duobus significentur. Iam vero illud 'dixere' non solum de duobus, sed etiam de pluribus patronis praeconem pronuntiare. Livium quoque confirmare 'scripsere' et talia pluralia esse, cum dicat (I, 12) 'tenuere arcem Sabini' et 'in adversum Romani subiere'. Denique certissimum auctorem Ciceronem Quint. affert, quippe qui in oratore (47, 157) formam 'scripsere' non reprehenderit, sed 'scripserunt' verius esse senserit (I, 5, 41/44). Illud procul dubio recte putat Quint. formam 'ere' ex 'erunt' ortam esse, sed quando hoc factum sit, non constat, cum iam in antiquissimis inscriptionibus formae 'censuere consuluere' inveniantur. Antiquissima forma in 'eront' cecidit, quod tradit Quint. I, 4, 16, quo loco antiquas formas 'dederont probaveront' commemorat.[58])

In natura multorum verborum est, et quae facimus passiva forma dicere, ut 'arbitror suspicor' (IX, 3, 7) (haec grammatici posteriores deponentia nominaverunt) et contra activa, quae patimur ut 'vapulo'. Quid quod Quintiliano testante pleraque

---

[58]) Corss. I^2 188 sqq.; Neue II, 294 sqq.

et activa et passiva forma dicuntur? velut 'luxuriatur luxuriat, fluctuatur fluctuat, adsentior adsentio'. 'Adsentio' Sisenna primus usus est,[59]) quem multi secuti sunt (I, 5, 13/14).

Permulta verba quae et deponentia et activa apud Latinos erant a grammaticis enumerantur: itaque mirum non esse Quint. dicit, quod Cicero 'fabricari' quoque (pro Rab. Post. 3, 7) et 'poeniri' (pro Mil. XIII, 33) activa significatione utatur. Haec igitur verba Quint. activa putavit, itaque ipse semper 'fabribare' usurpat. Sed deponens 'fabricor' saepissime, interdum 'punior' quoque invenitur.[60]) Quorundam verborum participia perf. non passivam, sed activam vim habent, ut 'pransus potus' (I, 4, 29). cf. Varr. ap. Gell. II, 25, 7 Charis. 262, 15; Diomed. 402, 4; Prisc. I, 483, 21; 565, 26.

Quaedam verba (impersonalia) tertiae demum personae figura dicuntur, ut 'licet piget' (I, 4, 29).

Participium, cum genus, casus, numerum ut substantivum sed etiam tempus ut verbum haberet (I, 5, 47), partem orationis grammatici iudicaverunt (I, 4, 19).

Cum verbo tales formac coniungendae sunt, ut 'dictu factu', quae, cum participiis similes sint, participialia nominantur: (I, 4, 29). Quint. haec cum illis adverbiis, quae proprie substantiva sint, ut 'diu noctu' confert dicens illa simile quiddam his pati. Eadem et aliorum et Plinii sententia erat, qui Charisio auctore (175, 27; 187, 21) formas 'docendi docendo docendum' adverbia qualitatis appellabat. Sine dubio Quint. 'participialia' non solum 'dictu' et 'dictum' nominat, sed ut grammatici formas gerundii eodem nomine significavit: grammaticos omnes has formas sive 'participialia' sive 'supina' sive 'gerundia' appellare satis notum est. (cf. Diomed. 342, 5. 9; Prisc. I, 409, 5; Cledon. 17, 25; Pompei. 217, 27.)

Neque vero omnia verba totum declinationis ordinem ferunt (I, 4, 29); haec defectiva aut singulis formis carere possunt aut supino praecipue et participiis perfecti eamque ob rem praeteritis quoque passivi, qualia sunt 'quire' et 'ruere' (I, 6, 26). Nonnulla ex his, quae perfecto activi quoque carent, eiusdem

---

[59]) Neue II, 200. [60]) id II, 253.

significationis verborum perfecta usurpant, ut 'fero tuli' (I, 4, 29; I, 6, 26), „cuius praeteritum perfectum et ulterius non invenitur."

Aliud exemplum est 'pepigi', cuius praesens 'pago' vel 'pango' Quintiliani aetate in usu non erat; tradit enim I, 6, 10/11 se a quibusdam vituperatum esse, quod ipse — ut multi alii — 'pepigi' ea significatione qua 'pactus sum' usurpaverit, quamquam praesens 'paciscor' esset; sed ex XII tabulis se verbum 'pagendi' attulisse, ex quo recte 'pepipi' formaretur.

Iam ad singula transeamus. Iam Donati temporibus quattuor coniugationes a quibusdam discernebantur, quamquam ille grammaticus (p. 359, 12) tres statuit: qûam nos quartam dicimus, ille alteram speciem tertiae appellat p. 382. Cum Donato consentiunt Diom. 331, 31; Comin. ap. Charis. 175, 29. Prob. 33, 15 et 158, 18; Serv. comm. in Don. 413, 14 Pomp. 222, 15 Consent. 380, 30 Phoc. 430, 21; Palaem. 543, 6 K. Quattuor vero coniugationes constituunt Prisc. I, 442, 18 H. Charis. 168, 3 cf. exc. Charis. p. 563, 6 K. Cledon. 16, 29; 18, 9 (cf. 17, 6); Macrob. exc. 634, 11 K.

Quot Quint. usus sit certo cognosci non potest, sed verisimile est eum tres statuisse, cum quattuor ab inferioribus demum grammaticis distinctae esse videantur.

Ex prima positione i. e. ex prima persona praesentis non semper conici potest, quomodo verba mutentur, ut 'secat secuit, lavo lautus, cado cecidi' (I, 4, 13). Quam varie perfectum formetur, quamquam praesens omnium in o cadit, demonstrant: 'cado cecidi, spondeo spopondi, pingo pinxi, lego legi, pono posui, frango fregi, laudo laudavi' (I, 6, 15). quin etiam eadem praesentia in diversos flexus eunt, ut volo 'volui' et 'volavi' (I, 6, 15).

Ea autem verba quae e et o litteris in indicativo praesentis terminantur, si in infinitivo e litteram in paenultima accipiunt — hoc adiecto excluduntur verba ut 'creo meo' — utique hanc e productam habent, ut 'prandeo pendeo spondeo, prandēre pendēre' spondēre. At quae o solam habent, dummodo per eandem litteram e in infinitivo exeant, brevia fiunt, ut 'lego dico curro, legere dicere currere'. Itaque Quint. vituperat, quod quidam antiquos secuti 'fervĕre' dixerunt pro 'fervēre', cum praesens semper esset 'ferveo'. Satis notum est plurima verba

diversas coniugationes sequi[61]); inter quae 'ferveo' erat, quod saepe apud veteres Latinos secundum tertiam coniugationem flectitur.[62]) Sed quamquam Lucilius quoque eruditissimus in versu: „fervit aqua et fervet: fervit nunc, fervet ad annum“ futurum huius verbi (fervet) secundum tertiam coniugationem formavit, tamen vitiosum Quint. hoc putat, cum comparatio doceat formam 'fervit' illi 'servit' similem esse; itaque iis, qui 'fervit' dicant, in infinitivo non 'fervĕre', sed ut 'servire' sic 'fervire' dicendum esse (I, 6, 7/9).

Alia verba in perfecto duplices formas habent, ut emico 'emicavi' et 'emicui'; Quintiliani actate 'emicui' in usu erat, nam 'emicavi' non usurpasse ait (I, 6, 17), nisi eos, qui analogiae molestissima perversitate inhaererent.

In passivo secunda persona sing. 'ris' vel 're' syllaba terminatur, ut 'mereris' et 'merere'; 're' ex 'ris' evitandae asperitatis gratia mollitum esse Quint. putat (I, 5, 42), pariter atque 'ere' ex 'erunt'. Utrumque in omnibus verbi temporibus et modis promiscue usurpabatur, nisi quod 're' in indicativo praesentis rarius invenitur.[63]) Quintiliani aetate 'ris' terminatio sola usitata fuisse videtur, cum dicat: „ut apud veteres pro 'male mereris' 'male merere'.

In perfecto et formis ab eo derivatis verba, quae 'ivi, avi, evi, ovi' syllabis terminantur, 'vi' et 've' syllabam saepissime eicere nemo nescit, qua de re accuratissime quaesivit Neuius.[64]) Quintiliani aetate breviores formae — si vi syllabam s gemina sequebatur — usitatae erant. Hoc ipse tribus locis confitetur; I, 6, 17 iis, qui molestissima diligentiae perversitate analogiae inhaereant, 'audivisse' et 'scivisse', deinde § 21 'conservavisse dicere permittit; denique IX, 4, 59 explicat rationem poscere 'vitavisse', consuetudinem 'vitasse'. Sine dubio haec verba non solum ad infinitivum referenda sunt, sed etiam ad 'conservavissem' etc.[65])

Hic alteram syncopen adicere liceat, quam Quint. IX, 3, 22 commemorat. Constat enim in secunda persona numeri sing. et plur. indic. perf. et coniunct. plusq. et in infinitivo eorum

---

[61]) Neue II, 318 sqq. [62]) id. II, 324. [63]) Neue II, 298 sqq.
[64]) l. c. II, 397/418. [65]) Bonnell de gramm. Qnint. p. 28.

verborum, quorum perfectum in 'si' vel 'ssi' vel 'xi' cadit, 'is' litteras eici posse, quod saepissime fit apud scenicos poetas, apud Lucilium, Varronem, Lucretium, Catullum, interdum etiam apud Vergilium in Aeneide et apud Horatium in sermonibus, apud Ausonium et Silium, quin etiam aliquoties apud Ciceronem.[66]) Cum Quint. l. c. 'dixti', quo Cicero usus est „excussa syllaba figuram in verbo" appellet, has formas sua aetate usitatas non fuisse apparet.

Quatenus Cato talibus formis ut 'dice facie' (cf. p. 27 sq.) usus sit, nescimus.

Secunda persona imperativi tertiae coniugationis ĕ littera terminatur exceptis — ut 'fer' omittam — 'dic, duc, fac'. Reprehendit Quint. eos (I, 6, 21), qui analogiae indulgentes 'dice' et 'face' dicere volebant, quamquam in hac re a veteribus scriptoribus adiuvantur: Diomedes enim (p. 349, 29 cf. Charis. 256, 24) tradit: „apud veteres salva est regula; .... dixerunt 'face, dice, duce'." Sed breviores quoque formas apud antiquissimos invenimus.[67])

Imperativus secundae coniugationis productam e habet, sed cum apud alios poetas tum apud scenicos in multis verbis e corripitur ut 'cavĕ, manĕ, valĕ etc.[68]) In uno verbo e correpta etiam in communi sermone dicebatur, dico formulam illam salutandi 'ave', quam Quintiliani aetate 'havĕ' pronuntiare consuetudo erat (I, 6, 21).

---

[66]) Neue II, 418 sqq. [67]) Neue II, 336 sqq.
[68]) id. II 333; Corss. de pron. II,[2] 472.

VITA.

Fridericus Boettner natus sum die XII m. Octobr. anni h. s. LII Seehusis, in urbe Palaeomarchica, patre Francisco, matre Augusta e gente Wilke, quos mortuos lugeo. Fidem profiteor evangelicam. Postquam patriae urbis scholam absolvi, inde ab a. h. s. LXVII in gymnasio Seehusano paulo ante condito institutus sum. Autumnali tempore a. h. s. LXXIII maturitatis testimonium adeptus Halis Saxonum per septem semestria studiis philologicis et historicis operam dedi. Docuerunt me praecipue: Bernhardy, Dittenberger, Droysen, Duemmler, Erdmann, Haym, Hiller, Keil, Kirchhoff, Kramer, Schum, Zacher. In seminarium philologicum receptus per duo semestria sodalis ordinarius, deinde per annum senior fui. Praeterea Keilius benigne permisit, ut societati philologicae, et Duemmlerus, ut exercitationibus historicis per binos annos interessem. Quibus viris cum omnibus tum Keilio optime de me merito gratias ago quam maximas.

THESES.

I.

Propertii versus III, 32, 39 sq. scribendi sunt:

Amphiaraeae non prosint fata quadrigae,
Aut Capanei magno grata ruina Jovi.

II.

Propertii versus IV, 21, 25 sq.

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis.

spurii sunt.

III.

Quintil. IX, 3, 1 scribendum est:

ut 'hac re invidere', non ut omnes veteres et Cicero praecipue 'huic rei'.

IV.

Aristoph. Thesmoph. versus 833

ταξίαρχον ἢ στρατηγόν, λαμβάνειν τιμήν τινα

et 837

ἢ τριήραρχον πονηρὸν ἢ κυβερνήτην κακόν

retinendi sunt.

V.

Lucilius poeta anno a. u. c. 574 (180 a. Chr.) natus est.

VI.

Camerarius Friderico, electori Palatino, auctor non fuit, ut Bohemiae coronam acciperet.